DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

TYPHO.

10

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE

TYPHO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CALDWELL ORMSBY,

HIBERNUS.

"Nullius addictus jurare in verba magistri."

HORATIUS.

CALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXI.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

PERHONORABILI

EDMUNDO HENRICO,

COMITI DE *LIMERICK*;

BARONI DE *GLENTWORTH*;

BARONI DE *FOXFORD*, ANGLIÆ,

EX REGIS HONORATISSIMO CONCILIO,

IN HIBERNIA;

ET PROCERIBUS SENATUS BRITANNICI

UNI,

&c. &c. &c.

VIRO,

AMORE PATRIÆ, AC OMNIBUS VIRTUTIBUS

QUÆ PRIMARIUM REGNI DECORANT,

INSIGNI;

QUEM STIRPS ANTIQUA, ANIMI INDOLES

ÆQUE NOBILITANT;

HOC TENUE OPUSCULUM,

SUMMA VENERANTIA,

OFFERT

AUCTOR.

HONORABILI VIRO

JACOBO CUFF,

DE *DEEL CASTLE*,

IN COMITATU *MAYO*,

ARMIGERO;

SENATORI BRITANNICO,

&c. &c.

VIRTUTIBUS ET AMORE CIVIUM

PRÆCLARO,

VITÆ DIGNITATE, MORUM ELEGANTIA,

JURE SPECTATISSIMO:

HANC DISSERTATIONEM,

REVERENTIÆ MONUMENTUM,

EA QUA DECET OBSERVANTIA,

INSCRIBIT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

TYPHO.

CALDWELL ORMSBY Auctore.

CLARISSIMÆ hujus Academiæ institutis provisum est, ne summos medicinæ honores aliquis prius attigerit, quam specimen suæ diligentiæ in arte medicinali ab eodem editum fuisset. Cur enim alicui salutem humani generis profiteri liceret, qui pignora idonea, documentaque ingenii doctrinæque juris publici, facere nequeat? Non omnes utique omnia possunt; sed omnibus pro

viribus niti licet: atque nobis igitur fas jusque erit Typhum febrem dirissimam, calamo, ne legi latæ repugnare videamus, illustrare. Quum vero proprio marte vix quidquam novi collectum habeamus, messe aliena præcipue utendum erit.

Plurimis quidem atque gravissimis malis mortales patent; nullis tamen quæ attentionem medici enixius postulant quam Typhus, de quo agere decrevimus; hic enim per nostram regionem morbus æque frequens atque pertinax, grassatur, tam variis anni tempestatibus, ut quo anni tempore maxime sæviat, adhuc inter medicos ambigitur.

MORBI HISTORIA.

Huic febri varia indita fuerunt nomina; qualia sunt, Febris Nervosa, Asthenica, Maculata, Semestris, Nosocomialis, Carceraria, Putrida, Maligna, Communis, Continua, &c. &c.; sed Typhus vel Febris Communis Continua, nec non Synochus, nomina sunt hodie usitatiora. Latenter admodum obrepere Typhus consuevit. Æger ali-

quot ante dies lassitudinem, tædium queritur, haud sine quodam capitis dolore. Conatum quemlibet sive animi sive corporis exerere piget, animus dejectus, appetitus cibi jactura, carnis fastidium. Plurimis hæc adeo mitia adsunt signa, ut ipsi nullam fere edant querelam; consuetisque muneribus negotiisque fungi tentent.

Hoc vero morbi tempore vultus ægri nonnihil mutari videtur; vespertino tempore hæc semper ingravescunt, quæ parum mutata tribus quatuorve diebus perstare solent. Somnus perturbatus, animus confusus, anxietas multa, primo morbi tempore, quod Cullenus Languoris denominavit; pulsus debilis est, lentusque, raro frequens. Nisi morbus ante primam hebdomadam intercisus fuerit, mala omnia exacerbantur; ad secundam, vires paulatim succumbunt, simulque capitis dolor et vertigines, quæ una adfuissent, decedunt, delirio noctu præcipue, atque ægro somniculoso, succedente. Brevi tamen et interdiu delirium supervenit vigilanti ferox; ad iras atroces ingentesque virium conatus incitans cubantem; qui sæpe lecto exiliens cubiculum quoque, si detur occasio, deserit. Sæpius tamen delirium lene

mussitans est, nec ulla violentia stipatum. Ferox autem vultus ruborem, oculorum speciem inflammatam, capitis dolorem, ingentem arteriarum carotidum temporaliumque actionem, exhibet. Miti vero vultus sordide pallescens, oculi concavi *, humidi, sordide rubentes, lenti, hebetes.

Dorso magis quam latere alterutro recumbere ægri volunt. Siquando mens interim sibi constet, animus maxime depressus, mœstus fit, vitamque despondet, memoria tarda, difficilis; carnes extenuantur, atque universum corpus præter naturam maceratur; cute interea sordida, flavescente. Haud raro petechiæ apparent, primo tamen et maxime in partes superiores, qualia sunt pectus, collum, scapulæ, unde totum brevi corpus membraque peragrant. Harum plagis variæ dantur figuræ, colores, magnitudines; quo vero atriore sunt colore, eo graviore periculo versari putantur. Modo raræ per cuticulam sparsæ, amplas hujus interjacentis portiones albedine intacta puras ostendunt; modo densæ adeo fre-

---

* A. Corn. Cels. De Med. ii. p. 36.

quentesque ut nigredine continua hanc afficiant. Creberrimæ quidem visæ sunt petechiæ ubi egestas, aër impurus, immunditiæ una adfuerunt. Linguæ sordes in crustam atram, impuram, densam convertuntur, ipsa rimosa, hinc inde sulcata, crusta consimili labia dentesque obducta; tinnitus aurium auditi, absentibus se colloqui imaginantur febrientes; unde sermo mussitans, submissus. Floccos legere videntur. Lingua tremit, nec ultra labia multum protrudi valet. Loquela tremebunda, rapida, nec distincta est: atque voces adstantium, vel soni leniores haud percipiuntur, musculorum brachii distentiones abnormes, nec non manus palpebræque superioris. Pondus quoddam in alvo, epigastrii teneritudo, sentiuntur; sæpe quidem ex alvo sedes mucosæ, tenaces, exiguæ, crebro decedunt; oculi album inter palpebras manifestum; urina varia, modo decolor, fereque serosa, modo fusca, atque cerevisiæ amaræ subsimilis: Hæc sæpe calore atque dolore quodam mingitur. Sudores profusi, alvi profluvia molesta, aphthæ, nec raro lucis impatientia adest.

Delirium subinde in stuporem degenerat, pulsus debilis fit, frequentior quam qui dinumerari possit. Tunc lucis stimuli inconscius evadit æger, cum pupilla dilatata, oculis vitri nitorem opaculum æmulantibus, subsultus tendinum, vultus cadaverosus, urinæ fæcesque nec sponte elabentes, singultus. Hunc ad modum progreditur morbus, tandemque morte mutatur.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Typhus omnibus anni tempestatibus se ostendit. Ei procliviores sunt ii fibra laxiore præditi, vel causa quavis prægressa infirmati, quales sunt victus tenuis, aquosus, abstinentia diuturna, labor durus, gravis, vigiliæ, metus mœstitia, vita sedentaria, fatigatio insignis, exinanitiones alvi iteratæ, sanguinis profluvia, studium intensum, anxietas, animi affectus, Venus immodica, aër stagnans, contaminatus, frigus ingens, aliaque. Typhum quidem haud alias quam pestem contagiosam esse medici quidam negaverunt; atque illud satis verum est, nos non omni morbi exem-

plum a communicatione febrientium deducere posse. Multis causis prædisponentibus opus est, atque corpus ipsum aliis præ aliis temporibus febri proclivius evadit. Quicunque tamen Typhi signis animum rite adhibuerint, haud cunctanter concludant, aërem ambientem particulis e corporibus febrientium exhalantibus ita imbui posse, ut sanos simili morbo facile inficere queat. Variat quidem distantia hujus potestatis diversis temporibus ægrisque; atque magis certe et efficaciter inficitur aër in cubiculis parvulis, immundis, male ventilatis.

CAUSÆ EXCITANTES.

Typhi proculdubio causa excitans frequentissima contagio est. Hujus naturam penitus ignoramus, nec nisi affectibus suis agnoscitur, genus humanum Typhi quam variolæ contagio non minus obnoxium esse dicitur *. Tempus quo

* Haygarth, "On prevention of Infectious Fevers."

post contagium admotum morbus sese ostendat, minime certum est; modo enim post tertiam diem apparebit, modo sex hebdomadas totas in corpore latebit corporis humani, præsertim pulmonum halitus, ut a pluribus loco angustiore, nec aëre ventilato fruente, confertis, exoriens, alia Typhi causa habetur. Munditia neglecta tertiam morbi originem præstare putatur, sed complures halitum locorum angustorum homines confertos claudentium, haud minus quam munditiam neglectam, materiam eandem contagiosam ac corpora febrientium, gignere credunt, ideoque causas diversas minus extare, quam origines diversas ejusdem causæ. Jupiter humidus quasi stagnans, liquorum ardentium abusus, Venus nimia, aëris lucisque exclusio, effluvia rebus animalibus, herbeisve putrescentibus exorta, animi depressio, aër immutatus, ut carcerum, navium, nosocomiorum, taliumque locorum, ubi multi una congregantur homines, febrem excitare possunt. Materia contagiosa, qualiscunque demum ea sit, variis rebus hærescere potest, quæ inde Fomites dicuntur, atque hi, uti nomen innuit, Typhum facillime inter sanos propagare valent. An vero febris gravior sit

quo densior, mitior quo dilutior contagio, ut quidam suspicantur, nondum constat. Natura enim chemica hujus materiæ, pleræque ejus leges, atra caligine latent diuque latebunt *.

DIAGNOSIS.

PRIMO impetu Typhus alios quosdam morbos tam prope adsimulat, ut internoscere aliquando difficile sit; brevi tamen speciem suam peculiarem induit. Quandoquidem tot morborum ad classem Pyrexiarum pertineant, atque signis Febri propriis ingruant, nil mirum est, si eorundem haud pauci Typhum mentiri videantur. Hinc primo protinus aggressu, an æger, gastritide, peritonitide, inflammatione quadam interna, exanthemate, quodam contagioso febre, tantum alieni morbi symptomatica, vel Germana Febre Typhode, correptus sit, temere dixeris. Clarissimus medicinæ Professor, JOANNES ARMSTRONG, in

* Vide GUYTON MORVEAU, CARMICHAEL SMYTH.

libello de Febre, hanc in tres formas distribuit, ut Typhum Simplicem habeat, Typhum Congestivam, Typhum denique Inflammatoriam. Has Typhi species singulas, singulæ aliorum morborum conditiones imitantur: nec raro quidem variæ conditiones progressusque ejusdem morbi, puta phrenitidis, unamquamque Typhi speciem æmulatur. Ad causam igitur semper erit respiciendum; num Typhus tunc temporis populariter grassetur, ægerve contagio obnoxius fuerit, causisve aliis creditis: num "Languor, lassitudo, aliaque debilitatis signa," morbi ingressum antecesserint. Neque multum prudens medicus hac discriminatione errabit, quoniam ex morbis quos simulat, plerique ratione haud absimili medendi curantur.

PROGNOSIS.

Difficile quidem est, multaque discriminatione egens, medicum præsagium verax de Typhi, terminatione probabili, proferre. Signa enim mala faustioribus aliquando miscentur, multum-

que incerti adjiciunt, atque in talibus sententiam nostram cautissime proponere decet.

Quando morbus non letho finitur, ad initium hebdomadæ tertiæ decedere incipit, atque ad quartæ finem paulatim, atque sæpe absque ulla manifesta crisi, abire consuevit. Signa faustiora sunt delirium non nisi post hebdomadam primam supergressum, tantumque ægrum dormitantem occupans, somnus redux, tametsi delirio fugace stipatus, surditas, urina turbida, atque sedimentum lætioris coloris demittens; perspiratio tepens ægrum reficiens, nec fatigationem aliamve molestiam movens. Hæc duo quidem sæpe critica fiunt, atque post diem undecimum magnopere optanda: illo enim tempore crisis accedens stabilior permanet, quam illa quæ maturius sese ostendisset. Bona quoque sunt præcordia non pressu dolentia nec tensa: aut post tensionem et dolorem, mollia, collapsa, dolore libera facta, ægro in latus alterutram sponte multumque recumbente inter somnum præsertim; pulsus lentior, spiritus tardior faciliorque redditus, lingua apicem marginesque sordibus emundata; potus tepidi, plurium toralium desiderium: oculus vividior, visus,

facies magis clara ac naturalis, tametsi pallida admodum ; petechiæ pallidiores vel evanidæ, rei venereæ cibique desiderium reditum. Signa infaustiora sunt, anxietas ingens, animique dejectio, vultus ad pallidum, languidum, vel rubicundum suffusumque aspectum mutatus, delirium constans, inquies, somnique penuria maxima : super linguam dentesque crusta densa nigella sine tamen siti, muscæ volitantes, vel atomi quasi ob oculos saltantes, tinnitus aurium, subsultus tendinum, syncope corpore erecto, petechiæ crebræ atræque, abdominis distentio, resiliens, floccorum e stragulis carptus, sudores citi ac copiosi tamen absque levamine, auris internæ dolor, oculorum album inter palpebras somno conspicuum, oculi fixi, visi abscessus vel ulcera sanatu difficilia, cutis species impura sordidula. Singultus quoque si debilitate conjunctus, urinæ fæcumque sine sponte elapsio, nec raro urinæ suppressio, spiritus vehementer acceleratus, sopor adversus febris finem, spasmi musculorum colli ad latus alterutrum caput inclinantes, dolor molestus, gravis ad præcordia, deglutitio impossibilis, loca quibus corpus cubantis nititur gangrænosa. Partes vesicatoriis

vexatæ nullum humorem præstantes, diarrhœa fœtida, sanguinis profluvia, magna imbecillitas, vocis jactura, oris fœtor, cæcitas, strabismus, aspectus oculorum immobilis, vitro comparabilis: ægro adversus pedes lective fulcrum delabente, (genubus retractis), ulcera demum livida gangrænosa, vultus longior apparens, maxilla in pectus cadente; digiti unguesque colorem lividum nacti; amplæ crebræque medicaminum purgantium propinationes frustratæ; strepitus gutturalis, sine potestate extussiendi; lingua tam resoluta ut exerere nequeat æger vocesve exprimere, singultus, extrema frigida, sudores frigidi tenaces, manuum tremor, oris siccitas, vox magnopere mutata, delirium mussitans,—extremum jam malorum finem adesse denunciant.

MEDENDI RATIO.

In variis hujus morbi stadiis ad duo semper respiciendum est, nimirum febrem tollendam, signa molestiora sublevanda. Protinus sub morbi initium curatio simplex est, sed, propter muta-

tiones quæ perpetuo in variis ejus temporibus fiunt, manifestum est curationem pro his variari oportere. Quando cibi animalis fastidium insolitum cum lassitudine, horroribus leviculis, capitis dolore vel molestia, percipitur, qualiter protinus primis diebus occurrere solet, vomitorium optimum fit remedium. Hoc tempore dum morbus topicus videtur, nec extra ventriculum propagatus, vomitorium optimum fit remedium: quo propinato, diluentia addenda sunt quo melius ventriculum exonerent, corporibus robustis tartras antimonii et potassæ satis commodus est; debilibus vero, atque, ni fallor, etiam robustis, ipecacuanha, anteferenda est. Si vero tartras antimonii exhibendus est, parvis modis ac sæpe, donec vomitus superveniat repetitis, præbeatur. Si alvus eodem non resoluta fuerit, detur proximo mane medicamentum purgans; quod si nullum effectum ediderit, tertia deinde hora geminandum erit; nam primis diebus remedia supradicta prudenter adhibita febrem sæpe intercidunt, cubantem restituunt.

Provectiore morbi curriculo, quum febris jam dies aliquot perstiterit, vomitoria non nisi cautis-

sime administranda: nunc enim morbum solvere nequeant, debilitatem vero impetum jampridem nimium caput versus augere, facile possunt. Conatus enim quos movent vires extenuant. Hæ mediocriter sustinendæ, somnus conciliandus, delirium, congestio sanguinis in cerebro tollenda. Medicamina plerumque usurpata sunt vomitoria, purgantia, diaphoretica, enemata, antispasmodica, cardiaca, antiseptica, opiata; topica sunt hirudines, cucurbita, vesicatorium, fomenta, glacies, frigida affusa, diluentia; quoque refrigerantia, laxantia, potus acidulus, cibus levis concoctu facilis, aër frigidus, munditia, tenebræ, silentium. Purgantia necessaria erunt, torpente quandoque alvo. Debilibus tamen enemata quam medicamenta purgantia meliora sunt.

Talibus somnus sæpe conciliatur. Sales medii ventriculum ægri irritabilem haud raro exasperant, quem effectum acidum idoneum sali adjectum lenire solet, gratiorem simul stomachoque convenientiorem illum faciens.

Sales medii quos usus maxime probavit, sunt, sulphas magnesiæ, sulphas sodæ, tartras potassæ et sodæ, phosphas sodæ; sed pulvis jalapæ compo-

situs, rheum, pulvis antimonialis vel *Jacobi*, præsertim apud initium vix minus sæpe quam ipsi sales præscribuntur. Tormina ventrisque dolore submuriatem hydrargyri, oleum ricini, vel etiam scammoniam vel pilulam colocynthidis compositam, postulant. Alvo probe soluta, mistura salina detur ut humorum impetum cutem versus dirigat. Quando cutem vehementius movere consilium est, aqua acetatis ammoniæ cum mistura salina utilissima fit. Nausea vexante, haustus effervescentes glacies communis, vel aqua congelata, et gratæ erunt et salubres. Singultui, æther, opium, spiritus vini Gallicus, glacies medentur; dolorem capitis, delirium perpetuum, auctum sanguinis impetum circa caput optime fugant venæsectio, arteriæ temporalis sectio, hirudines, cucurbita cruenta. Si tamen dolor capitis perstet post plenitudinem vasorum sublatam, hoc radatur; fomentis spirituosis, veluti spiritu vini camphorato cum vel sine aceto, madefiat; his nihil proficientibus, glacies fere semper adhibita rem efficiet.

Malo pertinaciore, vesicatorium capiti superimpositum, remedium est optimum. Si pulsus

rapidus est, singultus, ad vomitum proclivitas, petechiæ atræ confertæ, fœtor corporis tetricus, oculi rubri, spiritus anhelus, tunc acida fossilia et vegetabilia, vinum, cardiaca, aromatica, libere concedenda sunt. Munditia assidue colenda, lintea toralia, aliaque linea crebro mutanda, aër libere admittendus, exinanitiones omnes diligenter et confestim removendæ. Fermentum lac, lactisque serum, serum acetosum, cerevisia tenuis, aqua hordeacea, vel citrea (qualem *lemonade* nostrates nuncupant), pomaceum, aurantia, liberaliter præstanda sunt; vires levi facileque coctibili alimento fulciendæ, pomis assatis, fructibus, gelatis, uvis, sorbitionibus, Maranthæ arundinaceæ polline, amylo avenaceo, pane tosto, vino, cinchona. Febre vero decedente, atque ægro debilitate nunc solo morbo laborante, robur jusculis gelatisque administrandum erit. Ubi vero stomachi mobilitas, vel devorandi difficultas, ægrum ab alimento sibi ingerendo inhibeant, tunc cochleatim, si fieri potest, ori injiciatur; sin minus recto idem indetur. Febres ad tertiæ septimanæ finem productæ, cibos magis nutrientes, quam maturius convalescentes postulant. Aliquando debilitas adeo

magna existit, ut vinum facultatem excitatricem suam præstare non videtur.

Talibus exemplis alcohol ex vino, vesicatoria cruribus, vires corporis identidem refocillent. Corpus frigida, perfundere calorem, cutis ardentem, et utilissime delirium ferox solvere consuevit. Delirans quidem non multa vi lecto continendus est, quin potius exilire permittatur, quoniam frigus, positus corporis erectus, atque ad surgendum conatus, malum sedere poterunt. Sin minus, aqua frigida, ut diximus, affusa sæpenumero tollet. Silentium et tenebræ somnum conciliant. Acetum circa lectum, toralia, solum sparsum, ventilatio aërem renovare atque purificare videntur, sudores etiam nimii aceto consperso vel aëre frigidiusculo fortasse cohibeantur.

Aliquando in gravem viresque labefacturam diarrhœam, longa alvi durities febrientibus transmutatur.

Talibus post alvum caute exoneratam, opiata, absorbentia, astringentia, catharsin utilissime cohibebunt. Si vero alvus movenda sit, laxantia mitiora per inferiores partes indita, etiam fructus

acidi, quales sunt uvæ, aurantia, poma assa et elixa, sæpe laxam tenebunt.

Sæpe fit ut febris, postquam duas tresve hebdomadas duraverit, absque ulla mutatione critica, sensim atque decremento invisibili decedat. Æger licet jam convalescens, ægrotatione præcedente maceratus, periculo minime liber habendus, etiamsi febris sublata fuerit, nonnullis enim imbecillitas lethalis fuit.

Inter convalescendum, multas curationis partes repetere oportebit; sic alvi conditio animadvertenda, æger quiete habendus, sed aëris potusque eadem frigiditas non amplius utilis; diæta lautior sit, eo magis quo vehementior virium extenuatio furit. Juscula, carnes, gelata, aliaque commoda erunt. Gelatis calefactis utiliter misceri potest vinnm album modicum. Maranthæ arundinaceæ pulvis, tapioca, sago, orchis mascula, sorbitio, amylum avenaceum coctum, jam convalescenti libere præbeantur, utcunque mitis fuerit ægrotatio prægressa. Idem de fructibus maturis, gelatis ex fructibus confectis, affirmari potest, quæ res, ut diximus, febre ipsa sæviente, tuto cubantibus permittuntur.

Quum homo jam quartam, quintamve diem convalescens fuerit; parva cibi copia ei indulgenda, atque pro re nata adaugenda. Moris est cibum solidum non ante præstare, quam æger lecto erectus sedere valeat brevi temporis spatio, nec pulsu accelerato.

Recidiva, quæ haud raro accidit, haud aliter quam primus morbi aggressus curari debet. Attentione animi idonea adhibita, raro periculosæ recidivæ tertio quartove ad summum die fugantur, nec raro nutrientium negligentiæ ortum debent, quin hæc culpa nonnunquam ad medicum pertinet. Exinanitiones nimiæ quales ad febrem curandam institutas vidimus, insignem proclivitatem ad recidivam gignunt. Omnis enim supra modum exinanitio, mobilitatem corporis nimiam excitat; quo fit, uti causa levissima neque alioquin quidquam motura, imbecillum adhuc et irritabilem corporis compaginem, in actionem febrilem rejiciat.

Hinc medici non minus quam ministri erit, an æger recidivæ periculo subjiciendus sit. Diu quidem postquam æger febre liberatus, videatur causas ejus excitantes præcavere debet.

PROPHYLAXIS.

PAUCI quidem morbi sunt, quorum prophylaxis non multo facilior sit, quam curatio. Sed quo magis periculosus existat morbus, eo diligentius ejus præventio erit quærenda; neque ullus est morbus, cujus prophylaxin medici impensius investigarunt, quam pestis, variolæ et febris. Duorum priorum morborum violentiam valde refrænarunt inventa medicorum; pestem enim non nisi contactu communicari, ideoque contactu omisso, posse evitari, ostenderunt; atque insitione variolæ, morbum quidem voluntarium, sed magna ex parte periculo liberum, pro perniciosissima variola substituerunt. Sed etiamsi singulis hominibus hæc inventa præstiterint securitatem; civitatem tamen vel ædificium morbo, vel causa morbi, liberare non poterunt. Aliis sæviente peste, contactus necessitas continget; aliis causa erit, cur insitionem non paterentur. Tales immunitate carere oportet; neque talibus existentibus, facile delebitur morbus.

Ex omni tempore homines, certas res facultatem aërem purgandi possidere putarunt; et sulphur et corpora volatilia, qualia sunt. Camphora, acetum, sulphur, resinæ et balsama ea virtute

summopere pollere credita sunt. Hinc aërem etiam miasmatibus illis quæ eum inquinant, febremque faciunt, eadem purgare posse, orta est opinio. Quin historia liquoris quatuor furum Massiliensium (Acid. Acet. Arom.), eandem nonnihil confirmat sententiam. GUYTON MORVEAU, atque Cl. CARMICHAEL SMYTH, huic nobili investigationi novam chemicam adhibuerunt. Gasia ex acido muriatico, oxymuriatico, nitrico, caloris ope sublimata, naturam contagiosam aëris febrem generantis delere invenerunt.

Huic universus fere usus illorum fumorum acidorum in febre debellanda, domiciliis expurgandis. Sed dolendum est ea gasia, utcunque potentia, suos effectus haud facile manifestare, quam ob causam clarissimi mediei iis parum confidere videntur. Nihilominus, vir clarissimus JACOBUS HOME, Materiæ Medicæ in hac inclyta Academia Professor, (cui post DEUM, vitæ e morbo pulmonum crudelissimo restitutæ, grates debeo, animoque lubentissimo refero), has fumigationes, diu multumque assidua diligentia tentavit; atque, ut ipse prælectionibus testatur, sibi de earum efficacia probe satisfacere potuit. D. GREGORIUS Medicinæ Practicæ eadem Academia Professor,

eidem sententiæ assensus est; quin parum dubitat, an acidum aceticum, vel etiam pulveris nitrati explosio, eandem possideat virtutem.

Professor ibi Rei Botanicæ doctissimus R. Graham, in libello suo de hoc morbo, diversas auctorum opiniones optime discutit. "One opinion with regard to fumigation is, that it does no good, but by insuring ventilation; another, that it has a chemical action upon the contagious matter, and neutralises or otherwise destroys it. I shall not enter into this discussion. I care not which notion is true. I care not whether the substance employed for fumigation, has a specific action on the matter of contagion, or whether it simply acts like the pouring of an ink-bottle on a poisoned wound; when the stain is washed away, we know that the poison is gone with it. Experience abundantly shows, that after fumigation, infection has ceased; and this is all that is practically useful." (P. 76, 77). Properat exinde suadere, ut domus affectorum, quam primum post febrientes semoti fuerint, probe suffumigantur, atque eum vapore tam plena sunt conclavia acido, ut tamen respirari possit, ad horas aliquot claudenda. Acidum nitrosum laudat, si inquilini non

universi exierunt, utpote quod respiratu tolerabilius sit, hanc suffumigationem bis postea iterari jubet. Nonnulli etiam eadem in valetudinariis febrientium utuntur, atque in Nosocomio ejusmodi Edinensis, *Queensberry House* dicto, constanter usurparunt Doctores HOME, DUNCAN, HAMILTON, et SPENS. Dr B. WELSH (*On Fever*, p. 199.) fumigationem nunquam ibi valde utilem sibi videri statuit, additque: "Indeed it is manifest, that this auxiliary may be of essential service, without any possibility of appreciating its merits; since we only observe the infected persons, and not those who escape."

Præter fumigationem, alia prophylactica sunt, præsertim eaquæ Dr HAYGARTH (*On Infection*,) adeo diligenter indicavit. Excepta vero ventilatione, pauca ex iis vulgo hominum usurpari possunt; nam quod ad munditiam vel immunditiam, frigus vel calorem, vestimenta et cubilia attinet, recordandum est ut mores gentiles non nisi lentissime mutari possunt, et talia præcepta magis ad rei publicæ administratores pertinere, quem miseros illos egenos, quos febre continua confligere necessitas cogit.

FINIS.